



Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismvs
Catholicus, summam Christianæ institutionis IIII. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

Dicunt Missam esse abominationem. tit. 294

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

diuidebant in duas portiones sacramentum, Lut.
rani sine adoratione & honore habent, &c. & sic.
mnes sectæ bellum mouent de sacramento. At catho
lici credunt ibi esse corpus & non panem, Deum cū
corpore: ideo adorant Deum, credit propter Dei ver
bum, ibi esse & manere verum consecratum sacra
mentum, etiam extra ysum. Hæc cūm clara sint ex scriptis
& testimonio veteris Ecclesiæ, non est iustus recel
sus sectariorum à communi Ecclesia.

*DICVNT MISSAM ESSE
abominationes.*

TITVLVS CCXCIII.

Causa 5

VINTA M causam recessus à commu
ni Ecclesia, pretendūt sectæ esse abomi
nationem Missæ. Nam Christus dixit,
Matth. 26. Accipite & comedite, &c. scilicet
vt aliquid consequamini per hoc,
id est, remissionem peccatorum & vitam æternam.
Ldeo pro testamento relinquimus corpus & sangu
inem meum, vt quoties sumitis, habeatis remis
sionem peccatorum, &cæt. At Papistæ faciunt ex Mis
sa sacrificium nouū & singulare quod offerunt Deo
quotidiè, vt ipsi per hanc Missam mereantur sibi &
alijs remissionem peccatorum, viuis & mortuis ex ope
re operato: nolunt recipere gratis, sed mereri gratia
m & omnia dona per Missam. Nesciunt differentia
m inter sacramentū, in quo nos aliquid recipimus:
& sacrificiū, in quo nos aliquid Deo damus. Nos in
Missa nostra communicamus populum, &cæt. hæc illi.

Primò notandum, quod Missa est instituta & serua
tur in Ecclesia Catholica tribus de causis. Primò, ad
memoriam passionis Christi, nè quis illius obliui
scatur, Lucæ. 22. Secundò, ad percipiendum corpus
& sanguinem Christi, vt Christus in nobis semper
maneat, Ioann. 6. & in fide eius contra omnia opera
diaboli

diaboli confortet, nè iterum à fide labamur, vtque
nobis distribuat meritum passionis Christi, id est,
remissionem & salutem, quæ nobis in cruce meruit.
Postremò, ad gratias agendum Deo & filio eius Iesu
Christo pro collatis beneficijs, quia pro nobis redi-
mendis à vinculis sathanæ & peccatorum, corpus &
sanguinem atque vitam obtulit. Rom. 8. Proprio filio
suo non pepercit Deus, sed pro nobis omnibus &c.

Secundò, neque opus Missæ, neque cōmunio corpo-
ris & sanguinis Christi meretur ex opere operato re-
missionem peccatorum, sicut & nullum aliud sacra-
mentum meretur remissionem, sed Deus per sacra-
menta tanquam media operatur gratiam & remissi-
onem in credente, sicut aqua Baptismi nō tollit pec-
cata, sed Deus per baptismum, Ioan. 1. Hic est qui ba-
ptizat. Sic non opus Missæ aut communio meretur
remissionem, sed fides passionis Christi apprehendit,
non meretur, virtutem passionis Christi, id est, remis-
sionem, gratiam & gloriam dat Dominus, Psalmorū.
83. non opus Missæ aut communionis. Nec Chri-
stus mandauit vt vtamur hoc scaramento ad remissi-
onem peccatorum, sed ad memoriam passionis suæ,
id est, quod hanc pertulit pro peccatis nostris, & ob
nullam aliam causam, quoniam ipse peccatum non
fecit, 1. Petri. 2. Non igitur corpus & sanguis Chri-
sti testamentum, neque promissio remissionis pecca-
torum, quoties quis vtatur, sed potius testamenti
noui, id est, totius Euangelij confirmatiuum, sicut
legis Moysaica sanguis animalium, Exod. 24. erat. Fi-
des igitur passionis Christi, non Missæ, nec opus cō-
munionis meretur remissionem, Matthæi, 26. Hoc
est corpus meum, Hic est sanguis meus, &cæt. Hæc
oportet credere.

Tertiò, Christus se semel obtulit cruento & pœ-
nali modo, sicut Prophetæ prædixerunt, Esaiæ. 53.
Vulneratus & occisus est propter peccata. Sic etiam
SS 5 exposuit

exposuit discipulis, Luce. 24. Oportuit sic patri Chrl. stum, & interpretabatur illis scripturam, Prophetas & Psalmos, &cæt. hoc modo amplius non moritur, nec offcrtur, Romano. 6.

Secundò, obtulit se in cœna patri spiritualiter, nō pœnaliter, vt satis faceret scripturæ, Psalmo. 109. Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech, & hanc formam sic patri ipsum offerendi instituit & commisit in cœna discipulis & scacerdotibus, Luc. 22. Hoc facite in meam commemorationē, & sic Missa nō est pœnale, non nouum, aut singulare sacrificium, quod mereatur viuis & defunctis remissiōnem, sed est memoria cruenti & pœnalis Christi sacrificij in cruce. Subinde impletio præcepti Christi, scilicet, vt offeratur patri mysticè, iuxta ordinem Melchisedech, & sic dicitur sacrificium dupli cœsa, quia memoria sacrificij crucis. Secundò, quia idem corpus & sanguis in substantia immortaliter hic est, sicut in cruce: licet aliud sit modus offerendi, & in tali sacrificio, id est, Missa, petimus non meremur remissionem, sed distributionem & participationem petimus sacrificij crucis, vt Deus pater propter unicum sacrificium Christi dignetur misereri viuis & defunctis. Petitio Missa est, non meritum.

Quartò, ex prædictis liquet, quod Missa nō est abominatio, sed opus sanctum à Christo institutum & præceptum: subindè, quod non meretur remissionem peccatorum, sed petitio est, vt distribuatur à Deo propter sacrificium crucis. Tertiò, quod est spirituale sacrificium, habens secum multas orationes, quas Deo offerimus pro viuis & defunctis, & omnistatu, &cætera. & sic SS. Patres vni sunt Missa, non habent ergo sectæ iustam causam sui recessus, &cæt.

VITA MALA PRAE-
latorum.

Tl.